B. N. C.
FIRENZE
1058
14

1058 . 14

1058
14.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

QUAS

Sub Auſpicijs Reverendiſs. Patris, & Domini

D. ROBERTI DOSSI

ABBATIS SS. COSMÆ, ET DAMIANI DE BONONIA

NECNON TOTIUS CAMALDULENSIS ORDINIS

VISITATORIS VIGILANTISSIMI

D. SYLVANUS CIAPETTI STRATENSIS
MONACHUS CAMALDULENSIS

Defendendas proponit.

1058
14



FLORENTIÆ, MDCXCVII.

Ex Typographia Petri Matini ſub Signo Leonis Aurei.
SUPERIORUM LICENTIA.

1050-14

REV.ME PATER

EA lege Theologiam noſtram ſuſcepiſti, REVERENDIS. PRÆSVL, ut hæc ſuo diviniſsimo obiecto contenta in laudes Tuas deſcendere non auderet. Ego qui in omnibus, & hac præſertim in re morem Tibi gerere cupio nihil attentabo, quod, indolem modeſtiæ Tuæ offendere poſsit. Ali,s prudentiam Tuam, Divinarum rerum Zelum, inſignemque obſer-

obſervantiam commendandam relinquo cum cæteris egregijs dotibus, quarum in illuſtrioribus Religionis noſtræ muneribus obeundis, ac vigilantiſſimè adminiſtrandis egregia edidiſti ſpecimina. Ego vim mihi potius inferam ab hoc iucundiſsimo argumento abſtinens, ſinamque ut laudes Tibi debitæ altius perorent dum religioſius tacent. Illud tantummodo ſupereſt, ut ob ſervatam Humilitati Tuæ fidem, quod Theologiæ meæ promittis, mihi numquam deneges patrocinium. Vale.

CON-

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

DE DEO VNO, ET ATTRIBVTIS.

I.

HÆC propoſitio *Deus eſt* non eſt per ſe nota reſpectu intellectus humani ſaltem coniuncti cum corpore, bene tamen demonſtratur Exiſtentia Dei à poſteriori, ſcilicet ex creaturis ab ipſa productis.

II.

Eſſentia Dei, prout metaphyſicè conſiderari ſolet contradiſtincta ab Attributis, formaliter conſiſtit in Aſſeitate, quam propterea fatemur conceptum omninò poſitivum importare. Ex ipſa autem Eſſentia facilè demonſtrantur alia primaria Dei Attributa præſertim Neceſſitas etiam antecedens exiſtendi, Naturæ Vnitas, Infinitas in omni genere, ſumma & omnipoſſibilis Perfectio.

III.

Divina Attributa tum inter ſe, tum ab eſſentia neque realiter, neque formaliter ex natura rei diſtinguuntur, ſed ſolùm virtualiter intrinſecè, per æquivalentiam unius, eiuſdemque indiviſibilis perfectionis ad plures perfectiones alibi verè diſtinctas, etiam in ordine ad ſuſtinenda (ſi quæ ſint) prædicata ex ſe contradictoria.

IV.

Eadem quoque Attributa tum inter ſe, tum ab eſſentia metaphyſicè diſtinguuntur, & quidem adæquatè, itaut conceptus unius formaliter in

alterius conceptu, non imbibatur: undè colligimus talia Attributa licèt phyſicè æqualia, metaphyſicè tamen, ſeu ex noſtro concipiendi modo inæqualem dicere perfectionem, non prout identificantur Divinæ Eſſentiæ, ſed ex ſua præciſa ratione formali.

V.

Admittimus in Deo Intellectivum per modum actus primi metaphyſici, tum proximi, tum remoti, non minùs quam Intellectionem per modum actus ſecundi. Similiter in ipſo metaphyſicè diſtinguimus veram rationem, tum naturalis habitus ad intelligendum, tum ſpeciei intelligibilis eorum omnium, quæ ab Intellectu Divino quomodolibet cognoſcuntur.

VI.

Deus per ſuam Immenſitatem eſt ex parte ſua actualiſſimè præſens etiam extra mundum omnibus imaginabilibus locorum ſpatijs, non minùs quàm ſi in ipſis infiniti alij Mundi producti eſſent. Non repugnat Deum producere creaturam tantundem extenſam, quæ nimirum exactè coextenderetur eius Divinæ Immenſitati, adeout totus intra ipſam, & nullatenus extra contineretur Deus. Ex actione Dei tranſeunte formaliter non arguitur intima realis præſentia, quam habet ad omnem creaturam de facto exiſtentem, haberetque ſimiliter ad quaſcunque poſſibiles, ſi producerentur in loco, non item ſi eas nullibizaret.

VII.

Per Æternitatem Deus omnibus etiam immaginarijs temporum ſpatijs correſpondet, eaque indiviſibiliter quovis momento continet, at creaturæ temporaneæ nequaquam ab æterno, & ſemper phyſicè coexiſtunt, ſeù præſentes ſunt eius Divinæ Æternitati, ſicut nec ſingulæ creaturæ limitatum locum habentes ubique præſentes Divinæ Immenſitati.

VIII.

Omnipotentiam Dei dicimus Virtutem independenter ab alio ſuperiori agente effectivam omnium extra ſe poſſibilium. Reſpicit ſuos effectus in particulari, habetque eſſentialem connexionem cum ipſorum intrinſeca poſſibilitate, adeout uno implicante, implicaret ipſa Omnipotentia, & Deus. In dubio an aliqua res ſit poſſibilis, necne, dum non apparet, nec poſitivè probatur eius implicantia, ſtat præſumptio pro illius poſſibilitate in favorem Divinæ Omnipotentiæ.

IX.

Miſericordia ſecundum ſuum formalem primarium conceptum Virtus eſt, & ideo in Deo propriè admittenda, itaut tamen abſque illius præiudicio poſſit in oſtenſionem ſui pleniſſimi dominij, quod habet in creaturas tradere rationalem creaturam quantumvis innocentem æternis cruciatibus.

X.

Exprimit quoque Iuſtitia ſecundum ſuum generalem conceptum puram perfectionem, ideoque eam formaliter in Deo ponimus, tum ut diſtributivam, tum ut vindicativam, tum ut commutativam, ex qua ſtrictè obligare ſe poteſt creaturis non obſtante pleno dominio, quod habet ſemper in quamlibet rem creatam, licèt fateamur implicare, quod apud plures maneat dominium ſolidum, ſeu plenum (in eodem genere) eiuſdem omninò rei, tàm per longum tempus, quàm in uno etiam inſtanti actualis translationis dominij.

DE VISIONE DEI.

I.

NVlli creatæ naturæ poſſibili connaturalis eſſe poteſt viſio Dei, ut eſt in ſe, quam adhuc obedientialiter Creaturæ poſſibilem eſſe nulla evidens naturalis ratio demonſtrat, ſola divinæ promiſſionis auctoritas certum facit; an porrò ſicut ad ipſam elevatur de facto intellectus Beatorum, ita poſſibilis ſaltem ſit corporeus oculus ad eamdem eleuabilis, Problema eſto.

II.

Potentia obedientialis ad Viſionem Dei, alioſque ſupernaturales effectus de facto ab ipſa rei natura ſola ratione diſtinguitur: non eſt in quovis ad quodlibet, nec tamen regulatur a proportione effectuum ſimilium illis, quos naturalitèr eadem cauſa pro ducit, ſed poteſt indifferentèr eſſe ad effectus toto etiam genere differentes, puta in ligno ad intelligendum; cumque partialitèr tantum de facto effectiva ſit ſuorum ſupernaturalium effectuum; ipſos tamen totaliter recipit, nec non totali paſſivo influxu ſubſtentat, licèt de poſſibili non implicet totalis potentia obedientialis activa, nec receptiva, aut ſubſtentativa partialis.

III.

Lumen gloriæ (idem de quovis alio ſupernaturali habitu in ordine ad ſuos actus) non eſt tota ratio agendi in viſionem beatam, ſed etiam

potentia elevata partialitèr concurrit ad ipſam; undè nec implicat divinam Omnipotentiam extrinſecus aſſiſtendo ſupplere luminis vicem. Tota viſionis beatificæ inæqualitas ex inæqualitate graduum luminis, non verò intellectuum de facto petenda eſt. Idem lumen gloriæ probabiliter de facto rationem habet ſpeciei impreſſæ repræſentativæ Dei, quæ non minùs poſſibilis eſt, quam ſimilis expreſſa ſpecies in ipſo Viſionis actu ut producto eſſentialiſſimè conſiſtens.

IV.

Non implicat creata Viſio obiectivè præſcindens ea, quæ virtualitèr in Deo diſtinguuntur. V. G. Eſſentiam à Relationibus, benè tamen repugnat creatum intellectum poſita quacumque elevatione Deum ſtrictè compræhendere; ità ut etiam ſi per poſſibile, vel impoſſibile quis diſtinctè videret ſingula, quæ tum formaliter, tum eminenter in Deo continentur, vel ampliùs phyſicè uniretur alicui creato intellectui divina intellectio, qua Deus ſe ipſum comprehendit, non ideo ille Deum adhuc ſtrictè compræhenderet.

DE SCIENTIA, ET VOLVNTATE DEI.

I.

DEus tam ſe ipſum, quam creaturas ſuas cognoſcit non ſolum in ſe ipſo, ut medio obiectivo, ſed etiam motivè formalitèr in ipſis creaturis, ideſt ab earum intrinſeca cognoſcibilitate obiectiva formalitèr determinatus. Quæcumque libera ſivè abſolutè, ſivè conditionatè futura infallibiliter præcognoſcit non in decreto ipſorum phyſicè prædeterminativo, ſed ad ſummum purè præſinitivo ſi fuerint moraliter bona, secùs ſi mala moraliter; utraque tamen prævidet etiam formalitèr in ſe ipſis.

II.

Divina Volitio libera realitèr adæquatè identificatur cum Deo, formalitèr autem dicit perfectionem virtualitèr diſtinctam prorsus intrinſecè verèque contingentem. Divina Providentia primario, & quidditativè in ſolo actu divini intellectus conſiſtit, prout autem efficaciter ordinativa eſt actuum liberorum neceſſariò importat Scientiam mediam. Prædeſtinatio utrumque actum Intellectus, & Voluntatis formaliter involuit, reſpicit verò ut proprium terminum tàm finem vitæ æternæ, quam media ad ipſam conducentia.

III.

III.

Prima Prædeſtinatorum electio efficax ad gloriam etiam determinatè quò ad perſonas, & gradum gloriæ conferendum formalitèr (ordine intentionis) gratuita eſt, ſeù ante prævisa merita abſolutè futura, ſicut & reprobatio purè præciſiva, ſeu permiſſiva: Neminem tamen Deus de facto poſitivè excludit ab æterna ſalute, eoque minùs poſitivè deſtinat æternis cruciatibus niſi ex demeritis abſolutè futuris, & prævisis.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

I.

Dantur in Deo reales, & veræ Proceſſiones ad intra, quæ totalitèr ſumptæ videntur eſſe tantum duæ. Habent ultrà principium quod, etiam principium quò via productiva conſiſtens in relativo, via autem communicativa in abſoluto. Relationes ab Eſſentia nulla reali, aut ex natura rei formali, ſed tantum virtuali diſtinctione differunt: ut tales dicunt formaliter, & non purè materialiter perfectionem infinitam, ac ſimplicitèr ſimplicem.

II.

Divinæ Perſonæ formaliter conſtituuntur per Relationes non ſub conceptu originis, aut formæ hipoſtaticæ, ſed ſub expreſſo conceptu Relationum non quidem prædicamentalium producentis, & producti, ſed tranſcendentalium productivi, & producibilis. Præter tres ſubſiſtentias relativas, & reſpectivè proprias ſingularum Perſonarum non datur in divina Natura alia ſubſiſtentia abſoluta omnibus Perſonis communis.

III.

Notiones divinarum Perſonarum ſunt tantum quinque, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio paſſiva, & Innaſcibilitas. Sufficiens diſcrimen formale, quod Verbum præ Spiritu Sancto ſit Filius non eſt quod illud quidem naturaliter, hic verò liberè, aut illud per Intellectum, hic per Voluntatem procedat, ſed quia Verbum recipit ex vi ſuæ Proceſſionis formaliter Eſſentiam ut fæcundam ad intra, non verò Spiritus Sanctus.

IV.

Verbum divinum formalitèr, & per ſe procedit via communicativa ex cognitione Patris tantum ut repræſentativa Eſſentiæ divinæ non cæte-

cæterorum formalitèr, aut eminenter in illa exiſtentium. Non obſtante quod Pater, & Filius neceſſariò, & per ſe formalitèr producant Spiritum Sanctum, hic tamen non procedit ab illis per ſe, ſed per accidens, & ſi per impoſſibile realitèr Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab ipſo nec realitèr diſtingueretur, cum unica ratio diſtinctionis realis in divinis, ſit mutua Relatio Originis.

DE ANGELIS.

I.

NVlla nequè phyſica, nequè moralis repugnantia prohibet Angelos intrà eamdem ſpeciem ſolo numero multiplicari, unde cenſemus de facto plures ex ipſis ad eamdem infimam ſpeciem pertinere, è contra verò naturam aliquam ſpecificam eſſentialitèr numero immultiplicabilem in creatis implicare decernimus.

II.

Probabile eſt Angelos indigere diſtinctis ſpeciebus ad cognoſcenda obiecta ſeù non exiſtentia, ſeù nimium diſtantia, non item ad cognoſcendos intuitivè ſe ipſos, & accidentia ſibi inhærentia, aliaque obiecta tum ſpiritualia tum corporea ſibi intimè, aut immediatè præſentia, vel non poſita extra ſpheram eorum obiectivæ operativitatis, licèt ad hæc ipſa cognoſcenda liberè poſſint uti dictarum ſpecierum adminiculo, ſi velint. Vndè autem habeant Angeli tales ſpecies intelligibiles, ſcilicèt an emanativè à propria ſubſtantia, vel effectivè ab obiectis etiam corporeis, aut omnes ſimul ab initio ſuæ creationis, vel hic, & nunc pro caſibus occurrentibus ſubindè infuſas a Deo: Problema eſto.

III.

Non poſſunt Angeli certò, & infallibilitèr cognoſcere naturaliter futura libera antequam ſint, neque ſecreta cordium independenter à conſenſu elicientis, neque entia intrinſecè, ac theologicè ſupernaturalia, ſivè ut exiſtentia, ſivè ut poſſibilia. Quomodo verò loquantur ad invicem, an ſcilicèt per phyſicam productionem ſpiritualium characterum obiectivè conceptus ſuos ſignificantium, vel per phyſicam (immediatè, aut mediante ſpecie) productionem notitiæ ſuorum conceptuum in intellectù audientium, aut per moralem influxum proprij conſenſus, ut ſua ſecreta ſint alteri manifeſta, & affectivam eorum directionem ad audientem: Similiter Problema eſto.

IV.

Verè, & propriè Angeli ſunt in loco per ſuperadditam accidentalem formam ſpiritualis ubicationis extenſivè diviſibilis, pro diviſibilitate ſpatij, cui definitivè præſentes ſunt; quod quidem ſpatium præſentiæ Angelicæ licèt terminum naturalis magnitudinis [varium tamen in his, & illis prò varia ſingulorum virtute] habeat, non tamen terminum parvitatis, ità ut eſſe poſſint naturalitèr Angeli in quovis ſpatio minori, ac minori in infinitum, dummodo non penitùs indiviſibili, & in plura loca non diſcontinuato: ad quamlibet figuræ ſpeciem prædictum ſpatium præſentiæ Angelorum indifferens eſt, ità ut eſſe poſſit nunc ſphericum, iam cylindricum, mox conicum, tum polyedricum, &c.

V.

Moveri localiter poſſunt Angeli tum motu continuo ſucceſſivo, tum motu diſcreto ex pluribus inſtantaneis mutationibus reſultante, & quidem utroque quantalibet velocitate, aut tarditate finitè in infinitum maiori; non tamen de loco diſtanti ad locum diſtantem immediatè tranſibunt abſque tranſitù per medium in quo prius non eſſent.

VI.

Non repugnat rationalis creatura ex ſua natura, ſeu eſſentia impeccabilis; Angeli tamen de facto conditi peccare poſſunt etiam directè contra Deum ut finem naturalem, & naturalia præcepta, & vel à primo ſuæ creationis inſtanti tum phyſicè, tum moraliter delinquere poterant. Primum Luciferi peccatum fuit ſuperbiæ propriæ dictæ, cuius obiectum eſto ex natura rei eſſe potuerit eſſentialis æqualitas, aut ſimilitudo cum Deo, quam ſibi inefficaciter appeteret, de facto tamen probabilius putamus fuiſſe Vnionem hypoſtaticam, aut ſuam beatitudinem ſupernaturalem, vel naturalem, quam ſibi inordinatè arrogare tentaverit.

VII.

Non cruciantur Dæmones per ſolam appræhenſionem realiter immediatè vel mediante ſpecie cauſatam in ipſis; ſive ab igne inferni, ſivè ab alijs Dæmonibus; neque per meram alligationem ad ignem; ſed vel per dolorem ferè ſimilem ei, quem ab igne connaturaliter percipit anima unita corpori, vel per doloriferam aliam ſpiritualem qualitatem ipſis ab eodem igne divinitus elevato phyſicè impreſſam.

VIII.

Cauſa obſtinationis Dæmonum in peccato commiſſo non eſt ipſorum arbitrij phyſica, aut moralis naturalis inflexibilitas, vel odium Dei, ad

ad quod immediatè, vel mediante pravo habitu infuſo neceſſitentur à Deo, ſed moralis impotentia ſeriò pœnitendi conſiſtens in tanta difficultate ex varijs capitibus in ipſis proveniente, ut nunquam reipſa ullum moraliter bonum actum ſint operaturi, licèt phyſicè id abſolutè poſſent.

DE DIVINA GRATIA.

I.

OPtimè dividitur Gratia in formalem, & actualem, actualis in prævenientem, comitantem, ſufficientem, & efficacem; quam tamen efficaciam non habet ab intrinſeco ſui, ſive ex ſua phyſica entitate eo modo, quò Gratia phyſicæ Prædeterminationis Thomiſticæ, quam ut incompoſſibilem cum libertate propterea reijcimus: immò quæcumque actualis Gratia data à Deo ad operationem eliciendam à voluntate ex ſua intrinſeca entitate indifferens eſt ad unum, & ad oppoſitum, tàm contrariè, quàm contradictoriè: quò tamen non obſtante poteſt Deus prædefinire, & de facto prædefinit efficaciter actus bonos infallibiliter ſecuturos citrà læſionem creatæ libertatis.

II.

Gratia præveniens, & cooperans non ſunt quid realiter diſtinctum, ſed una, & eadem realis entitas, quæ in quantum præveniens antecedit noſtram liberam cooperationem, in quantum cooperans non eſt antecedens, ſed ſimultanea cum noſtra libera cooperatione. Homo ex parte actus primi Gratia præveniente adiutus habet in ſua poteſtate, ſeu poteſt habere, vel non habere pro ſuo libito ipſam Gratiam cooperantem; non ideò tamen gloriari poteſt de bono uſu ſui liberi arbitrij, ſed hunc recognoſcere debet ut veriſſimum donum Dei.

III.

Eſt poſſibilis ſtatus Naturæ puræ tum ab elevatione ad finem ſupernaturalem, tum à perfecta ſubiectione appetitus ſenſitivi ad rationem. Natura tamen lapſa comparata, cum tali Natura pura non eſt intrinſecè, phyſicè, aut moraliter debilior, ſed habet æquales vires, ac haberet illa in ordine ad operandum bonum, & cognoſcendum verum. In utroque ſtatu naturæ puræ, ac lapſæ, & elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem eſt poſſibilis Amor Dei naturalis ſuper omnia abſque adiutorio gratiæ intrinſecè ſupernaturalis.

IV.

Ad omnes tamen, & ſingulos actus ſalutares in natura tum lapſa, tum integra, ſeu innocenti ſimpliciter neceſſaria, eſt ſtricta Gratia in-

trin-

trinſecè ſupernaturalis, & ad perſeverandum finaliter requiritur amplius ſpecialior Gratia, præſcindendo ab eo quod eſſe debeat externa, vel interna. Ad bene autem moraliter operandum, & ad non peccandum neceſſaria non eſt Fides divina, neque Charitas, aut etiam Gratia habitualis.

V.

Poteſt liberum arbitrium ex ſuis ſolis viribus naturalibus elicere actum naturalem moraliter honeſtum; unde ad naturaliter benè, & honeſtè moraliter operandum licet neceſſaria ſit Gratia intrinſecè naturalis, ſaltem quæ dicitur externæ protectionis, non tamen ullo modo requiritur ſtricta Gratia intrinſecè, vel ſolum extrinſecè ſupernaturalis. Ad diuturnam autem obſervantiam legis naturalis (tum in pura, tum in lapſa Natura) ſimpliciter neceſſaria eſt Gratia extraordinaria inſpirationis, vel externæ protectionis.

VI.

Similiter nec per ſe, nec per accidens eſt moraliter neceſſaria, neceſſitate antecedente eadem ſtricta Gratia intrinſecè ſupernaturalis ad vincendas ſingulas tentationes graves, ſed ad ſummum requiritur, & ſufficit Gratia entitativè naturalis, & ordinaria, ſeù pertinens ad ordinariam Providentiam. Ad vincendas autem tentationes graviores, & graviſſimas probabilius reputamus neceſſariam eſſe Gratiam extraordinariam, licèt intrinſecè naturalem.

VII.

Gratia habitualis eſt forma ſanctificans Animam, & illi intrinſecè phyſicè de facto inhæret. Eſt tamen abſolutè poſſibile Hominem reddi Deo charum, & gratum per formam phyſicè extrinſecam animæ. Habitus Charitatis, & Gratiæ ſanctificantis nedum formalitèr ſed etiam realitèr diſtinguuntur.

DE FIDE.

I.

OBiectum formale, ſeù proximum motivum actuum Divinæ Fidei eſt Deus ut prima Veritas in teſtificando, nec non actualis revelatio rerum credendarum, itaut ipſa Divina Revelatio non ſe habeat ut mera conditio, ſed conſtitutivè pertineat ad obie-

ctum

ctum formale Fidei. Tàm prima Veritas, quàm actualis revelatio præcognoſci poteſt in ratione principij ipſius Fidei independenter ab eorum expreſſa, aut virtuali revelatione immediatè propter ſe ex ipſis terminis ſupernaturaliter apprehenſis, vel ex motivo partiali revelationis directæ, aut reflexæ virtualiter ſupra ſe ipſam.

II.

Propoſitio Eccleſiæ ſecundùm auctoritatem Divinam ſpectat conſtitutivè ad obiectum Fidei Divinæ tamquam Divina locutio, at ſecundum auctoritatem humanam eſt pura applicatio revelationis pro formando iudicio credibilitatis miſteriorum. Poteſt dari actus Fidei Divinæ ex revelatione tantum privata.

III.

Actus Divinæ Fidei non poteſt ex motivo falſæ, ſeù tantum exiſtimatæ revelationis procedere etiamſi foret de obiecto re ipſa verò, unde eo minus eſſe poterit de obiecto falſo exiſtente falſa conſequenter etiam illius revelatione, cum repugnet Divinæ Veracitati quidpiam falſum revelare; quare actus Divinæ Fidei eſt intrinſecè certus certitudine infallibilitatis, ſeù indefectibilitatis à vero, ſicuti, & certitudine intellectiva adhæſionis [non in actu primo, ſed ſecundo] atque etiam affectiva voluntatis, magis quàm eſſe poſſit quilibet naturalis aſſenſus metaphyſicè, aut mathematicè evidens.

IV.

Divinæ Fidei actus intrinſecè, & ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis eſt, quemadmodum & eius habitus intellectualis, & pia affectio ex parte voluntatis, cum imperans ſi nil tamen prohibet ipſum actum ex mala circumſtantia ab extrinſeco viciari poſſe. Repugnant actus purè naturales Fidei Divinæ nitentes Divino teſtimonio ad placitum, vel etiam naturali obſcurè, & certè cognito, undè tantum poſſunt dari actus naturales Divinæ Fidei ſi nitantur Teſtimonio Divino naturali evidenter clarè, vel obſcurè probabiliter naturaliter cognito. Pia etiam affectio poteſt naturalis eſſe, non tamen efficax ad inducendum actum Fidei ſupernaturalem.

V.

Actus Fidei Divinæ ordinariè in nobis exiſtentes abſque evidentia in atteſtante liberi ſunt; ac dependentes à directo voluntatis imperio,

perio, & quidem poſitivo, per actum ſcilicet piæ affectionis ad ſpecialem virtutem moralem pertinentis. Poſſunt ijdem actus Fidei Divinæ eſſe, & plerumque de facto in nobis ſunt formaliter diſcurſivi, & tunc quoque ſunt liberi eadem libertate, qua liberi ſunt aſſenſus præſtiti eorum obiecto formali, Divinæ ſcilicet revelationi tamquam infallibili.

VI.

Concluſio deducta ex duabus præmiſſis, quarum utraque ſit de Fide, aut una de Fide, altera naturaliter certa, & evidens (evidentia phyſica, vel metaphyſica, aut ſolum morali, ſed tamen in ſummo gradu) eſt pariter de Fide. Vtcumque tamen diſcurſiva ſit Divina Fides ſemper obſcura eſt, licet non negativè, ſed tantum præciſivè; quare nedum compoſſibilis eſt in eodem intellectu cum actuali ſcientia de eodem obiecto, ſed ipſamet habere poteſt evidentiam in Atteſtante.

VII.

Adultis, qui non fuerunt in infantia baptizati, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt, neceſſaria eſt neceſſitate medij aliqua vera, & ſupernaturalis Fides actualis, nimirum explicita Fides Dei ut Exiſtentis, & Remuneratoris. Poſt peccatum Adami ante & poſt ſufficientem Evangelij promulgationem ſimiliter neceſſitate medij neceſſaria ſemper fuit actualis Fides implicita Chriſti Redemptoris.

VIII.

Neceſſitate præcepti obligamur credere, præter omnes Apoſtolici Symboli articulos, etiam præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, necnon tria Sacramenta Fidelibus maximè neceſſaria Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; quod quidem præceptum pluries in vita obligare, & ad ipſam Fidei virtutem formaliter pertinere dicendum eſt.

IX.

Myſteria Fidei Divinæ ſunt evidenter prudenter credibilia, & ad omnem Fidei Divinæ actum præ requiritur evidens iudicium prudentis eiuſmodi credibilitatis, ut per piam affectionem efficaciter imperetur aſſenſus Fidelis.

X. Pro

X.

Probabile eſt numquam primo infundi Habitum Fidei ſine Gratia habituali. In Hæreticis totus Fidei Habitus perit non quidem ex natura rei, ſed demeritoriè. Animæ Purgantes, & Beati in Patria retinent Habitum Fidei, ſecus verò Damnati.

LAVS DEO.

Diſputabuntur publicè in Templo Angelorum Florentiæ, obiectis occurret idem, qui supra, aſſiſtet verò Admod. R. P. D. Guido Grandus Cremonenſis Monachus Camaldul., & in eodem Monaſt. Sacræ Theologiæ Lector.

Anno Mense Die Horæ

8° 358256

1058 16

9.1b